

et dare ultimum vale. Officia vero, et alia munia, quæ in ejusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debent, non autem a Parochis. Atque ita in præmissis omnino deinceps fieri et exsequi præsentium vigore mandat et præcipit, contrariis quibuscunque non obstantibus Sacra Congreg. Episc. et Regul., 27 Novembr. 1671, accedente amplissima approbatione et confirmatione Clementis X, Constit. incip. *Nuper*, 18 Januar. 1672.

(44. Parochi tenentur Cadavera suorum Parochianorum levare a loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiæ Regularium, etiam ipsi Regularibus non associantibus, nec Parochi se ingerere possunt in faciendo super iisdem Cadaveribus Officium in Ecclesiis præfatorum Regularium, sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectat et pertinet. Urbanus VIII, 24 Julii 1644, et Sacra Rituum Congregat., 4 Martii 1673, 27 Januarii 1680, approbante Innocentio XI, 11 Martii 1680.

(45. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum? Resp. *Affirmative*, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia vel Oratorium; Sac. Rit. Cong., 10 Decembr. 1703, approbante Clemente XI, 12 Januarii 1704.

(46. An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia Cadavera Confratrum et Consororum, qui ibidem elegerint sepulturam: et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat Officium aliasque functiones super iisdem Cadaveribus explere? Sacra Congregat. Concilii respondit *affirmative* quoad primam partem, quoad secundam *negative*, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat; die 28 Julii 1724.

(47. Consuetudo benedicendi Cadavera ad Ecclesiæ portam, et in funeribus servanda est; Sacra Congregat. Episc. et Regul., 8 Novemb. 1647 et 21 Jan. 1650.

(48. Domi, antequam Cadaver afferatur, possunt hæredes super eo officia recitare facere cuiuscunque libuerit; Sac. Congr. Episc. et Regul., 19 Maii 1579.

(49. An hæredes Defunctorum sint cogendi ad retinendum domi Cadavera usque ad tempus illa sepeliendi; an vero iisdem hæredibus liceat pro libito asportare dicta Cadavera e propriis domibus ad quamcunque aliam Ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi essent sepelienda in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu Parochi, seu prohibitione ab eodem facta uti Vicario foraneo; Sac. Rituum Congr. respondit: *Petita, et etiam non obtemperantia, posse Cadavera deponi arbitrio hæredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturæ*; die 22 Junii et 13 Julii 1625.

(50. Cadavera non sunt sepelienda privatim sine lumine, Cruce, et Parocho; Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 28 Januarii

1610. Etiamsi id ordinasset defunctus, cum talis dispositio tanquam irrationabilis una cum consuetudine, quæ alicubi esse posset, sit rejicienda, ut censuit Rota Romana, 15 Junii 1699, et confirmavit Clemens XI, 9 Decembris 1704, Edict. incip. *La Santità di Nostro Signore*, ut refert Benedictus XIV, t. II, notificat. 16, inter Institut. Ecclesiastic. 36, n. 23, et Cavalieri loc. cit., c. 4, Decr. 4, n. 4.

(51. Restituendum esse Cadaver Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta, censuit Sacra Congreg. Episcop. et Regul., 1 Februarii et 31 Maii 1647, 5 Febr. 1649, 14 Januarii et 1 Apr. 1650, ac 22 Sept. 1657.

(52. Cadaver, quod alicubi positum non est per modum depositi, sed traditum est perpetuæ sepulturæ, exhumari non licet, nec alio asportari, nisi de licentia Ordinarii; Sac. Congreg. Episcop. et Regul., 28 Januarii 1603.

(53. Exhumari nequeunt Cadavera sine licentia Sacræ Congregationis pro recognitione faciendâ a Curia Sæculari; Sacra Congreg. Episcop. et Regul., 17 Decembris 1602.

(54. Defunctorum Cadavera non possunt vulgo arrestari seu sequestrari ob debita civilia, quibus gravantur, etiam erga mensam, nec eadem de causa potest differri eorumdem sepultura, sed prius Cadavera sepelienda sunt, et postea debitum medio jure petendum, cum Christiana pietas non patiat propter interesse pecuniarium remanere insepulta Cadavera; Sac. Congr. Episc. et Regul., 14 Augusti 1590, 20 Octob. 1591 et 23 Augusti 1652.

(55. Parochi pauperum Cadavera gratis sepelire tenentur; Sac. Congr. Episc. et Regul., 5 Maii 1617 et 31 Martii 1646. Sic dicta Decreta traduntur et erudite declarantur a sapientissimo Patre Cavalieri in Agenda Defunctorum.

(56. In sectione Cadaverum anatomie ad discendæ causa, si quis adhibeat Cadavera non condemnatorum, nulla obtemperantia ab Episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonifacii VIII, de qua in cap. 1, de Sepulcris, cum illa feratur tantum in eos qui, exhumantes Cadavera ea lacerant et alio sepelienda transferunt. Ita ex sensu Benedicti XIV, Institut. Eccl. 64, § 10.

(57. Si instituta processione et præcedente Cruce associandum sit Cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset evinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quin et leges illæ a jure Canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur Institut. Eccles. 89, § 9.

(58. Si Cadaver tumulandum sit in Ecclesia Regularium, non potest Parochus exigere, ut asportetur prius ad parochialem, et ibi exponatur, dein in sepulturam in Ecclesia

Regularium inferatur, ut ex *Lucana* funerum censuit Sac. Cong. Conc. Institut. Eccles. 105, § 25.

(59. Ex Decretis Sacræ Congregationis Concilii firmatum est non esse levandum Cadaver domo absque præsentia ac facultate Parochi loci, ubi domus sita est. *Ibid.*

(60. Cum distinguitur Ecclesia tumulans a Parochiali, processio funebris debet incedere sub Cruce Ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine Parochus propriam crucem levare, nisi in casu quo interveniat Capitulum Cathedralis, et tunc Cathedralis Crux sola præcedit. Ita ex Decretis Sacræ Congregat. *Ibidem*, § 26.

(61. Societates funus comitantes, si procedant cum sacco, tenent locum ante feretrum, et ante Clerum tam Sæcularem, quam Regularem; si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis Cleri Romani. *Ibid.*, § 30, et 31.

(62. Laici Regulares non debent comparere cum Capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. *Ibidem*, § 32. At si invitatus sit conventus Regularis, qui certe constat ex Laicis Conversis et Sacerdotibus, excludendi non sunt. *Ibidem*.

(63. Regulares cogi non possunt, ut associant pompam funebrem, cum Cadaver in eorum Ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas Ecclesiæ suæ expectare. Ita ex Decis. Sac. Congreg. *Ibid.*, § 38.

(64. Si quis habitator Urbis decedat ruri non electa sepultura, Cadaver ejus sepulturæ mandandum est, non in Ecclesia rurali, sed in sua Parochia, vel in Ecclesia, ubi sita est sepultura majorum suorum, ut decisum est cap. *Is qui de sepulturis* 126, dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere, si obitus accidat in loco ultra tria miliaria distante a Parochia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *Ibidem*.

(65. Cum e rure transferendum est Cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente Cruce a Clero delata, et associantibus geminis Sacerdotibus, altero Ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte Parochi illius loci, ubi mors accidit. *Ibidem*, § 46.

(66. In extractione, vel intratione Cadaveris in portas Urbis gabella minime solvenda est, ut ex DD. *Ibid.*, § 46.

(67. Pro transitu processione funebris ex una Parochia in aliam, nulla petenda est licentia a Parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex Bulla Leonis X 22, et decretis Sac. Congreg. firmatur. *Ibid.*, § 49.

(68. Pro sepultura, et exsequiis Cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris Canonibus firmum est. *Ibidem* § 58. (69. Verum si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quantum circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium Ordinarii, ut ex textu cap. *Ad audientiam* 24, de *Simoniacis*; cit. Institut., § 58.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(70. Frequens in Foro est controversia de exhumatione Cadaverum, quæ alibi sepulta sunt, quam ubi sepeliri debebant. (71. At videndum de cujus præjudicio agatur, num propriæ Parochiæ, et Ecclesiæ, an Ecclesiæ, in qua est sepultura majorum, vel quæ fuit electa pro sepultura, aut demum ejus, ad quem sepultura spectat.

(72. Regula pro exhumatione Cadaverum est in priori casu cap. 5 de Sepult. (73. Tum in secundo casu cap. 6, *eod. tit.*, licet Regula hæc nonnullas patiatur limitationes, de quibus vide Romaguer. ad Constit. Synod. Gerund., lib. III, tit. 9, cap. 3, num. 3 et seq.; Calvin. de *Æquitate* lib. I, cap. 93, per tot.; Rota in recent. dec. 41, num. 4 et seq.; par. 18, coram Bichio, dec. 439, fere per tot. (74. In tertio vero casu Regula non est pro exhumatione Cadaverum, sed pro compositione cum eo, ad quem sepultura spectat, ut ex mox allegatis optime præ cæteris firmat Romaguer., *ubi supra* num. 31 et seq., et adammusim convenit Frass., de Reg. Patron. tom. II, cap. 89, n. 35 et seq.

(75. De Cadavere Clerici, qui mortem sibi conscivit, quis cognoscere debeat, num Judex Ecclesiasticus, an Judex Sæcularis, an uterque simul, vide contrarias inter se opiniones apud Rousseaud de la Combe in sua Jurisprudentia Canonica, verb. *Cadaver*.

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(76. Inspecta moderna Ecclesiæ disciplina locum, quo Cadavera sepeliantur, eligere in Ecclesia solis Patronis aut Fundatoribus competit; quibus etiam in Choro locus dari consuevit; quod inter jura honorifica computabatur. Alias locum sepulturæ in Ecclesia nemo sibi propria auctoritate eligere potest; sed is designandus ab iis qui Ecclesiis præsident. (77. Quia Parochus, vita durante, curam spirituales suorum Parochianorum sustinet, æquum est, ut defunctos sive Cadavera non deserat; hinc indubitatum est, Ecclesiam Parochialem, ejusve cæmeterium esse proprium locum sepulturæ Parochianorum. Ita in cap. 3, tit. *De Sepulturis*. (78. Proinde uno consensu jus sepeliendi Cadavera omnes Interpretes juribus Parochialibus annumerant. (79. Quantum ad sepulturam, Parochiani dicuntur, qui intra limites Parochiæ ita morantur, ut ipsi Sacramenta ibi in ipsa percipere, et Parochi ipsi administrare teneantur. (80. Quod si defunctus habeat sepulcrum *Majorum*, in eo potius, quam in Parochia ejus Cadaver sepeliendum esse declaratur cap. 1 et 3, tit. *De Sepult.* (81. In Cadaverum inhumatione Sepulturæ Majorum uti et Parochiali de jure et consuetudine præfertur sepultura a defuncto electa. Cap. 1, *De Sepult.* (82. Quod intelligendum est, si talis electio facta fuerit in loco Religioso juxta Rituale Romanum. (83. Oblationes, quæ fieri consueverunt in Cadaverum funeratione, ex pluribus Synodorum Decretis, licitum esse recipere Parochis, aliisque, quibus de jure vel consuetudine aliove legitimo titulo competunt, indubitatum est.

(84. Ob non solutionem Jurium funeralium sepultura Cadaverum non est differenda. Quam dilationem non tantum a sacris Canonibus, sed Principum legibus improbatam ostendit Christianus Lupus, diss. II ad tom. III Scholiorum in Canones, cap. 12. (85. Cum jus Cadavera inhumandi sit plane distinctum a jure celebrandi exsequias, et utrumque illud jus spectet de jure communi ad Ecclesiam Parochialem, certum est quod uno eorum alteri loco, vigore privilegii, communicato, nequaquam alterum censeri debeat indultum in præjudicium Ecclesie Parochialis; hinc jure inhumationis communicato alicui Ecclesie, seu religioso loco, salva nihilominus remanent Ecclesie Parochiali reliqua jura. (86. Competit igitur Parocho de jure, ut Cadaver præsentetur sue Ecclesie, atque eo præsentate Missa celebretur, uti notavit Glossographus ad Clementinam *Dudum*, de Sepult. (87. Quæstio incidit, quod genus exsequiarum in Ecclesia Parochiali sit persolvendum Cadaveribus, quando in alia Ecclesia fuit electa sepultura; et an hæres sive exsecutor qualicumque officio in Ecclesia Parochiali defungatur; et judicatum refert D. Van-Espen, hæredem teneri ad exsequias sive officium istius generis quod respondet officio sive funeralibus factis in ipsa Cadaveris inhumatione in loco sepulture electe. Ratio subjicitur, quia per factam eo modo inhumationem censetur determinasse genus funeris. (88. Nec excluditur Ecclesia Parochialis ab illis oblationibus, quæ sepeliendis Cadaveribus in altera Ecclesia impenduntur. (89. Factum enim est, ut si aliquem Parochianorum alibi contigerit eligere sepulturam, Ecclesie Parochiali quarta funerum impendatur; quæ portio est major vel minor juxta locorum sive Provinciarum consuetudinem. Conc. Trid. sess. 15, cap. 13, *De Ref.*

ADDITIONES CASINENSES.

(90. Antiquitus mos erat Christifidelibus antequam defunctorum corpora sepulture demandarent, ea lavare (quod commune erat Græcis, Romanis atque Judæis), ut hinc indicarent animam propter confessionem et poenitentiam a culpa fuisse mundatam; ac etiam corpus in extremo judicio gloriam et claritatem esse consecuturum æternam. Durand, Rational. lib. VII, cap. de Offic. Hoc autem et tempore Apostolorum servatum in Ecclesia Deifuisse, ex Act. Apostolor., cap. IX, colligimus, ubi de Tabita: « Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt eam in Cœnaculo. » Lotum Cadaver variis unguentis et aromatibus condiebant, quemadmodum Ethnicis Romanis, Græcis, Ægyptiis et Judæis mos erat sepelire. Marc. XIV et XVI; Luc. XXIII et XXIV; Joan. XIX. Aliquando consuevere etiam defunctorum corpora propriis ipsorum induere vestibus, aliisque pretiosis ornamentis. Sic enim Augustinus: « Pompa est funebris, excipitur sepulcro pretioso, involvitur pretiosis vestibus, sepelitur unguentis et aromatibus. » Potissimum vero curabant Fideles ea decenter componere, ut Dio-

nysius Alexandrinus in sua Epistola per Eusebium Histor. lib. VII, cap. 17 relata, describit, ibi: « Quin etiam Sanctorum corpora manibus erectis, supinisque excipere; gremio suo reponere; ocludere oculos; ora obturare; gestare humeris Cadavera; decenter ornare; illis adhærescere; amice complecti; lavare accurate, et linteo funebri involvere non gravati sunt. » Præcipue autem Chrysostomus, homil. in Job, ibi: « Jubent parentes officia adhiberi, manus componunt, oculos claudunt, corpus directe statuunt, pedes reducunt, lavant, sepulcro condigno, dignis funeribus condunt. » Magnopere insuper studebant abscissa martyrum membra componere, illa in suum locum reducendo, sicuti ex Actis martyrum colligitur. Mos quoque fuit ad Virginum capita apponendi coronas ex multis floribus contextas (Damasceus, Gregorius Nyssenus) et virides frondes sub capitibus defunctorum; cujus ritus significationem præbet Durandus, Rational. lib. VII, c. 35, ubi: « Hedera quoque, inquit, vel laurus, et hujusmodi, quæ semper servant virorem in sarcophago, corpori substernantur, ad significandum quod qui moriuntur in Christo, vivere non desinunt, nam licet mundo moriantur secundum corpus, tamen secundum animam vivunt et reviviscunt Deo. » Sævientibus Tyrannis in Christianos, Martyrum corpora clam sepeliri Fideles curabant, noctu ea asportabant, et ut plurimum supra vehicula, a duabus rotis Biota nuncupata, in ruralem usum, ut id Ethnicis celarent. Baron. Surius. Recondabatur in sepulcris Martyrum eorumdem sanguis in aliquo vase, sicut etiam instrumenta martyrii; et præter insignia dignitatum, quibus usi jam fuissent, dum viverent, etiam aliquando penes defunctorum corpora apponebant instrumenta, quibus illi in vita proprias carnes afflixerunt, nempe catenas, cilicia et similia. Exstabant quandoque in sepulcris Martyrum memoria, eorumque acta martyrii; quandoque etiam titulum, seu nomen defuncti intra vel extra sepulcrum inscribendum curarunt. Prudentius, Hymn. S. Hippolyti. Ecclesie vero pace restituta, eaque a tyrannide Ethnicorum Principum liberata, fidelium defunctorum corpora magna pompa sublata fuerunt, et cum hymnis, cereis et incensis dignæ sepulture tradita. Baron. ann. 310. Quinimo Constantinus Imperator statuit, et ipse primus auctor fuit, ut ad defunctorum corpora humanda, hominum corpus constitueretur, qui ei muneri mancipati essent, quosque Ecclesie voluit esse subjectos, ab omnibus publicis muneribus immunes atque vectigalibus liberos. Idem corpus postea Anastasius pariter Imperator confirmavit, ut testatur Justinianus Novell. 43 et 59. Baron. ad annum 336. Vid. Martene de Antiq. Eccl. Ritibus, tom. III, lib. III, cap. 12.

(91. Quæstio aliquando inter Doctores exagitata est, num liceat Personarum Ecclesiasticarum Cadavera Sacris induere Vestibus, cumque eis tumulare; et an in manibus defuncti Presbyteri apponi queat Calix,

ac super feretrum Missale ad Ordinem significandum. Quod ad Sacras Vestes pertinet Paludanus in 4 dist. 24 q. 5 art. 2 conclus. 4 et Sylvest. v. *Benedictio* n. 8, tenent non licere ex Canone, *Nemo per ignorantiam* dist. 1 de Consecrat., Consilio Arvernens. cap. 3 et præcipue ex Libro Pontificali. His tamen non obstantibus verior ac certissima sententia est hodie, quæ asserit Sacerdotum, Diaconorum et Subdiaconorum Cadavera Sacris Vestibus indui debere, cumque eis sepeliri. Hujusmodi enim usum vetustissimum in Ecclesia esse testatur Nicol. de Lir. cap. 10, Levitic., ubi ait: *Ex hoc autem, quod Nadab et Abiu fuerunt sepulti cum Vestibus Sacerdotalibus, inolevit consuetudo quod Sacerdotes Novæ Legis cum Vestibus Sacerdotalibus sepeliantur.* Nec Ecclesiastica desunt monumenta, quæ hujus rei nobis exempla suppeditant, Vid. Bedam, Amalarium lib. IV Ecclesiast. Officior. cap. 41, Canisium Antiq. Lect. tom. VI, S. Gregor. Magn. Dialogor. lib. IV, c. 10. Huncque fuisse ritum antiquis temporibus servatum, firmat Mabillon., De Ritu humandi Sacerdot. veter. et nov. Præclara hæc de re sunt verba Ritualis Romani tit. de Exeq. « Sacerdos, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus, usque ad Vestem Talarem inclusive; tum desuper Sacro Vestitu Sacerdotali, vel clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos super Talarem Vestem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola et Casula, seu Planeta violacea sit indutus. Diaconus vero induatur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextera adnectatur, et Dalmatica violacea. Subdiaconus autem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo et Tunicella. Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici Superpelliceo, supra Vestem Talarem ornari debent. Singuli prædicti cum Tonsura et Birretis suis. » In Concilio vero Mediolanensi VI, tit. *Quæ ad funera pertinent*, § 2, cautum est: « Quisque Clericus mortuus vestitu Clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indutus offeratur: Diaconali veste Diaconus, Sacerdotali Sacerdos, Clericus Superpelliceo, Tonsuraque ornatus, itidemque alii pro Ordinis Ecclesiastici gradu. » Præterea Clemens XI, juxta dispositionem Ritualis Romani, l. c., sub die 9 Decembris 1705, Parochis, Superioribus Ecclesiarum tam Sæcularium quam Regularium, Sacristis et omnibus ad quos spectat, mandavit, ut non permittant Ecclesiasticorum Sæcularium Cadavera nisi cum Sacris Vestibus Ordini convenientibus, ex propriis domibus ad Ecclesiam transferri, vel in istis exponi. (92. Hujusmodi ritus vero hæc est ratio, tum quia Vestes Sacerdotales et clericales, juxta Durand. Rational. lib. II, cap. 35, n. 41, virtutes significant, cum quibus Ministri Altaris præ cæteris Deo sunt præsentandi; tum quia pietas erga defunctos exigit ut cum honore sepeliantur, et quoniam Presbyteri cæterique specialiter Divino sunt mancipati servitio, ratio exigit, ut tanquam personæ Deo dicatæ, et Christi et Ecclesie Ministri, etiam

mortui indumentis characteri convenientibus induantur, cum eisque tumulentur. (93. Hinc per Text. expressum in cap. *Ad hoc de usu et auctoritate Pallii*, Cadaver Archiepiscopi in ejus delatione et expositione in Ecclesia, induendum est Pallio, et cum eo tumulandum. Quin etiam si Archiepiscopus defunctus ad aliam Ecclesiam Sede Metropolitana insignitam translatus fuerit, cum Pallio tam prioris, quam posterioris Ecclesie tumulandus est: ipse tamen Pallio induatur posterius accepto, et alterum prioris Ecclesie ejus capiti supponendum est. Innocent. Hostiens. et Abb. in cit. cap. *Ad hoc*, n. 2. Cardin. Petra Comment. ad Constitut. Apostol., tom. V, Constit. Pii II, n. 85. Si vero Archiepiscopus extra propriam Diocesim decedat, sub ejus capite Pallium reponitur; ibid. (94. Hæc etiam de Episcopo defuncto ex Cæremon. Episcop. lib. II, cap. 38, colligimus: « Loto et terso corpore Clerici familiares.... induant illud primum vestibus ordinariis usque ad Rochettum, deinde Sacris Vestibus, quibus vivens induebatur, dum solemniter erat celebraturus, hoc est, caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, stola, manipulo, cruce pectorali, tunicella, dalmatica, chirotheis, planeta coloris violacei, annulo et mitra simplici, ac etiam Pallio cum spinulis, si erit Archiepiscopus, vel alias utens Pallio, et ponant super pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat.... et ad pedes ejus ponatur pileum Pontificale sericeis viridibus floccis ornatum. »

(95. Quæ hæcenus disseruimus ad priorem partem quæsitæ n. 91 relati pertinent; quoad alteram vero, utrum liceat in manibus defuncti Presbyteri Calicem apponere, et in feretro Missale apertum, hæc sunt attendenda. Procul dubio certum est nec Rituali, neque decentiæ congruum videri, ut in manibus Sacerdotis demortui Calix et circa ejusdem Cadaver Missale apponatur. Cum enim Rituale l. c. tit. de Exeq. adamussim omnia præscribat, quibus defuncti Presbyteri corpus induendum est, ab amictu ad birretum usque, mirum quod si ab ejusdem Rubrica Calicis etiam delatio intenta fuisset, de eo nec verbum fecerit, qui profecto ornamentorum omnium est præcipuum. Quod de Missali etiam dictum volumus. Repugnat præter ea decentiæ hujusmodi usus apponendi Calicem, in eo enim præter consecrationem, quæ caret aliâ Sacræ Vestis, quibus Cadaver induitur, toties Christi Domini Sanguis exceptus est, et a Sacerdote Æterno Patri oblatus, qua de causa nemo est qui non videat, quam indecens, et quam indigne in Divino Sacrificio usurparetur, postquam præ manibus Cadaveris diu fuit. Insuper si per Sacros Canones vetitum fuit Defunctorum corpora Pallio, seu Corporali involvi, et Concil. Arvernens. can. 3, Sacerdotis Cadaver Pallio altaris obtegi, ne illo suis usibus reddito Altaria polluantur, eo magis de Calice hoc foret dicendum, qui immediate inservit Sacrificio, si manibus defuncti aptetur, et iterum ad Christi Domini Sanguinem recipiendum in Missa adhiberetur: majoremque præferret

indecentiam, si una cum Cadavere Calix ipse in sepulcro condendus esset. Supervacaneum porro esset Calicem apponere, nam ut supra innuimus, Personarum Ecclesiasticarum Cadavera Sacris induuntur Vestibus, ut eorum significaretur Ordo, ad quem indicandum et Sacerdotalem characterem Casula et Stola ante pectus ad modum Crucis plicata, sunt satis. Ad quid ergo Calix et Missale? Clericat. de Sacrif. miss. decis. 50, num. 49; Sarnell. Epist. 33, tom. I; Bass. Cureya. Idque firmanunt Concilium Provinciale Beneventanum ann. 1673, tit. 28, De sepulturis cap. 18. « Calix in Sacerdotum defunctorum

CADUCITAS.

Vide verb. EMPHYTEUSIS, art. 3, a n. 8 ad 12.

CÆCUS.

Quoad recitationem divini officii vide verb. OFFICIUM DIVINUM, art. 5, a num. 1 ad 8. — Quoad obtinendam dispensationem ad effectum tum obtinendi beneficium ecclesiasticum, tum missam celebrandi, vide verb. DISPENSATIO, d. 69, 70. — Quoad percipiendas distributiones quotidianas, vide verb. DISTRIBUTIONES, art. 1, n. 15 et 16.

CÆLIBATUS.

SUMMARIUM.

1. Cælibatus Sacris Ministris initio præscriptus fuit tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia. — 2. Sed deinde permissa fuit uxorum retentio Orientalibus. — 3. Cælibatus tamen suadetur enixe Græcis Subdiaconis, Diaconis et Presbyteris. — 4. Cælibatus obligatio num ex voto, an ex lege Ecclesiastica repetenda sit. — 5. Post majores Ordines jam

(1. Cælibatus sacris Ministris initio præscriptus fuit tam in Orientali quam in Occidentali Ecclesia; Benedictus XIV, tom. I,

(1) De Cælibatu lege parce admodum Cl. Auctor; quapropter visum fuit de ipsa pauca quædam hic delibare.

Explorati juris est, Cælibatus legem jure Ecclesiastico statutam fuisse, atque sacris Ministris impositam, quemadmodum contra aliquos temere contrarium opinantes clarissime evincit doctissimus Bellarminus in suis Controversiis lib. II de Clericis cap. 18.

Isthæc porro Cælibatus sacratissima lex tam eximiam præfert vetustatis notam, ut Apostolica merito dicenda sit; siquidem cum ipsis Ecclesiæ incunabulis cœpit, omnique ævo permansit; licet nonnihil varietatis inter utramque Ecclesiam Occidentalem nempe atque Orientalem, in ea servanda deprehenderetur; uti mox dicemus. Scilicet hoc debebatur Victimæ illi virginæ, ac virgineo odore fragranti, ut publica Ecclesiæ lege ab ipso sui exordio sancitum esset, ne victima illa cœlestis contractaretur, immolaretur, produceretur in altari, nisi per eos qui aut virgines essent, aut vidui, aut in æternum pudici, uti loquitur D. Hieronymus.

Neque hoc de sola Occidentali Ecclesia erit accipiendum, quandoquidem et apud Orientales a primis usque Ecclesiæ sæculis hæc quoque lex Cælibatum sacris injungens ministris sancita erat. Hujus quidem rei locupletissimi testes occurrunt Epiphanius, et Hieronymus, qui verbis tam disertis eam affirmant, ut omnino de ipsa dubitare nefas sit. Lege Thomassinum in de Nov. et Veter. Eccles. Disciplina p. 1, lib. II, cap. 60.

Quapropter merito vapulat Natalis Alexander qui in Synops. Histor. Ecclesiast. Secul. Quart. cap. 1, n. 9, docet ante Siricii Pontificis tempora, hoc est

manibus, et alia sacra juxta illos non apponantur; sed præscriptus ab Ecclesia ritus executioni mandetur; » et Synodus Fulginatensis, his verbis: « Calicem vero consecratum in Sacerdotum defunctorum manibus, sicubi abusive introductum esset, de cætero non apponi jubemus. » Idem aliis in Synodis statutum fuit. Nota tamen, apud Germanos et quosdam alios mos esse ante defuncti feretrum Calicem ex cera ab aliquo Clerico cotta induto deferendi, illumque supra Presbyteri corpus in sepulcro deijciendi.

CADUCITAS.

Vide verb. EMPHYTEUSIS, art. 3, a n. 8 ad 12.

CÆCUS.

Quoad recitationem divini officii vide verb. OFFICIUM DIVINUM, art. 5, a num. 1 ad 8. — Quoad obtinendam dispensationem ad effectum tum obtinendi beneficium ecclesiasticum, tum missam celebrandi, vide verb. DISPENSATIO, d. 69, 70. — Quoad percipiendas distributiones quotidianas, vide verb. DISTRIBUTIONES, art. 1, n. 15 et 16.

CÆLIBATUS.

susceptos invalidum est Matrimonium. — 6. Post initum Matrimonium, ex quo bigamia contracta est, nemo nequidem ad primam tonsuram promovetur. — 7. Nec extra casum bigamiæ, nisi uxor consentiat, et castitatem profiteatur. — 8. De legis Cælibatus antiquitate in Latina et Orientali Ecclesia, deque ejusdem discrimine in utraque. — 9. 10. De hujus legis æquitate et de nulla juri divino et naturali repugnantia.

Constit. 129, incip., *Eo quamvis tempore §. 34 (1).* (2. Sed deinde ex indulgentia permissa fuit uxorum retentio Græcis, Maroni-

ante annum 385, cum Siricius ad Pontificatus fastigium evehctus est, Cælibatum nulla Ecclesiastica lege sancitum fuisse; sed sola consuetudine Sacris Ordinibus adnexum fuisse.

Illud tamen discriminis inter Orientalem atque Occidentalem Ecclesiam observatum fuit; nempe quod in Orientali Ecclesia in hoc magis animus intendebatur, ne post receptos Sacros ordines carnalibus nuptiis quis contaminare se auderet; cæterum si quis post contracta cum aliqua conjugia ad Sacros Ordines proveheretur, uxorem legitimam in ipso Sacro ministerio esse retinendam plures contendebant, et suo potius exemplo edocebant. Cujusmodi abusum probe cognoscentes antiquiores Synodi, imo et ipsum Nicænum Concilium connivendum satius duxerunt: *Nam si vigore legum id emendatum fuisset, forte ex ipso medicamine morbus evasisset deterior*, ut aiebat laud. Epiphanius. In Ecclesia vero Occidentali æque vetitum erat et uxorem ducere post sacræ Ordinationis receptum characterem, aut uxore ante Ordinationem recepta uti, eique consuescere, uti loquuntur Patres. Lex isthæc extendebatur non solum ad Episcopos (quod in ipsa Orientali Ecclesia quantum ad ipsos Episcopos, æque ac in Occidentali semper servatum fuit) sed etiam ad Presbyteros, et Diaconos; etenim Hypodiaconi primis Ecclesiæ sæculis hæc in re suæ voluntati relicti fuerunt; et licet Leo Magnus legem continentia ipsius etiam Hypodiaconis indixisset, illa tamen non ubique statim recepta fuit. Lege laud. Thomassinum. loc. cit. cap. 60 et 61.

Abusum antea invecctum in Orientali Ecclesia, ut uxorem antea receptam in ipso sacro ministerio, et retinere, eaque uti liceret, Græci, ut erat ingenium

tis, aliisque Orientalibus. Idem, Ibid § 35.

(3. Cælibatus Græcis Subdiaconis, Diaconis, et Presbyteris enixe suadetur, quamvis eorum Matrimonium cum unica et virgine non reprobetur. Idem Constit. 67, incip. *Etsi*, § 7, num. 26, ibi: *Etsi expetendum quam maxime esset, ut Græci, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini, servarent, nihilominus ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante Sacros Ordines Virgines, non Viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerint, vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarint, ad Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus (1).*

ADDITIONES CASINENSES.

(4. Majores Clerici omnino castitatem servare tenentur. An vero Cælibatus obligatio ex voto, an ex lege ecclesiastica repetenda sit inter se non conveniunt Auctores. Tridentini enim Patres tantum damnare Lutherum dicentem: *Non obstante lege ecclesiastica vel voto.* Vid. Scotum 4, dist. 39; Bellar. Contr. I. I, de Matr. c. 21; Sanchez de Matr. I. VII; Pallav. Hist. Con. Trid. I. XXIII, c. 9, n. 2; Amort. Theol. Tract. de ord.; Schmalzgrueber Jus Eccl. Un., I. III, tit. 3. Vide infra num. 8.

(5. Post majores ordines jam susceptos invalidum est Matrimonium. Conc. Trid. sess. 24. can. 9. de Sacram. Matr.

(6. Post initum Matrimonium, ex quo bigamia vera, vel interpretativa contracta est, nemo ad Ordines, nequidem ad primam tonsuram, vivente vel mortua uxore, promovetur.

(7. Extra casum bigamiæ, uxore vivente,

nationi intractabile, obstinatissime retinuerunt; quin et synodali lege ipsum confirmare ausi fuere, et retinendum decreverunt. Id patet ex Synodo Trullana habita an. 688, uti contendit Natal. Alexand. *Histor. Ecclesiast.* Dissert. III in Sæcul. Septim. ubi profana illa Synodus damnat nominatim canones Ecclesiæ Romanæ Cælibatum Clericorum spectantes; atque una simul statuit ut Clerici ante Subdiaconatum uxores ducerent, et cum eisdem viverent etiam postea in Sacris Ordinibus constituti. Hinc abusus ille in morem evasit; ac tandem magis crevit, atque confirmatus est tempore Leonis IX, cum dissidium Græcorum cum Latinis maxime ferebat.

Cum autem ab antiqua erroris consuetudine nulla facile ratione dimoveri possent Presbyteri, alique Clerici Græcanici ritus, ne vetustis simultatibus novæ dissidiorum causæ adjicerentur, ad Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, ac Magistræ, pietatem spectabat, ut in favorem Græcæ Ecclesiæ nonnihil remitteret de rigore antiquæ disciplina, quod reapse tandem factum est; uti compertum habetur ex Can. *Aliter* 15, Distinc. 51, qui est Stephani Pontificis, ex cap. *Cum olim* 6 de Cleric. Conjugat. et cap. *Quæsitum* 7 de Pœnitent. et Remissionib. Ex instr. Clement. VIII, quæ incipit, *Presbyteri Græci*; ac demum ex Instructione Benedicti XIV, quæ incipit, *Eo quamvis tempore.* Illud vero tantummodo ipsis junctum fuit, ut antequam ad Sacrum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandum accederent, vel

nisi ipsa consentiat et castitatem profiteatur, nemo hodie admittitur ne ad primam quidem tonsuram.

(8. Lex Cælibatus seu continentia sacris Ministris imposita, adversus quam tam acriter Protestantes decertarunt, quamvis tanto insano furore Sæculo XVI insectati sunt, antiquissima est in Ecclesia Dei, æquitati non difformis, nec juri divino vel naturali repugnans. Lex etenim ista in exemplo Apostolorum fundata ab ipso apostolico ævo universaliter fuit recepta, atque in antiquissimis Conciliorum et Pontificum sanctionibus firmata. In exemplo equidem Apostolorum fundata, nam juxta Tertullianum lib. de Monogam. c. 8, ex Apostolorum numero Petrum tantum uxorem habuisse legimus; et Hieronymus contra Jovinianum lib. I, hæc habet: « Quoniam, excepto Apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: et quum de uno scriptum sit, et de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat. » Idem S. Doctor, Epist. 48, ad Pammachium: « Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicaverit principia; Apostoli vel virgines, vel post nuptias continent. » Hinc ab ipsis primis Ecclesiæ sæculis, etsi continentia nondum Clericis certa vel declarata lege imposita, tamen consuetudine jam receptum erat, ut Sacris initiati ab uxoribus abstinerent, quas ante ordinationem acceperant. De hac consuetudine vide Origen., homil. 33 in Num. n. 3, et lib. III contra Celsum, n. 48; Hieronymum lib. contra Vigilantium; Eusebium, Demonstrat. Evangel. lib. I, cap. 9, et Epiphanium Hæres. 48, n. 9, et Hæres. 59, n. 4, qui pluries affirmat hujusmodi consuetudinem ab Apostolorum ætate atque instituto esse

per hebdomadam, vel per triduum ab uxoribus abstinerent, uti patet ex memoratis Instructionibus Clement. VIII et Benedict. XIV.

Novissimis demum ætatibus adversus legem Cælibatus acriter bellum indixere Joannes Wiclefus, Martinus Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores contententes acriter, licere Sacris Ministris etiam post recepta Sacrarum Ordinationum insignia uxores ducere, eisque copulari; at ineptissimas ipsorum argumentationes, quas pro sua insigni temeritate proferre non verentur contra sacratissimam continentia disciplinam ab Apostolica traditione derivatam, atque in Ecclesia semper servatam, uti testatur Synodus Carthaginensis II, can. 27, docte et erudite suo more refellit Bellarm. laud. lib. I, de Clericis, cap. 19 et seqq. Adesit, si lubet, laudatissimum Theologum.

(1) De Cælibatu, quem tot libris hodie oppugnatum dolentes vidimus, plura dicenda essent, nisi Cælibatus causam jam egisset Franciscus Antonius Zaccaria, edito primum an. 1774 Romæ commentario, cui titulus est: *Storia Polemica del Celibato sacro da contraporsi ad alcune detestabili opere uscite a questi tempi*; deinde hoc anno 1784 vulgata Fulginia ejusdem operis apologia, quæ prænotatur: *Dissertazione Apologetica ni F. A. Z. a conferma della sua Storia Polemica del Celibato sacro, o sia nuova giustificazione del Celibato degli Ecclesiastici contro gl'inconvenienti appostigli anche ultimamente in alcuni infamissimi libri.* (EDIT. BARBIEL.)